

a Vauvillierio confectas, ex *Notitia MStorum Bibliothecae Regiae Parisiensis* hausi. Accessere etiam alii codices, atque adminicula, quae posthac enumerabo.

In textu constituendo, plerumque secutus sum editionem Glasguanam anni 1806, quam Porsonianam vocavi, etsi sine nomine editoris prodiit: in melicis autem disponendis ducem habui Burneium, a quo rarissime, nec unquam sine pavore, discessi. *) Locorum, quos obelo notaverat Porsonus, nonnullos ipse postea emendavit; atque emendationes ejus, quum eas ab amicis doctis audivissem, sine dubitatione in textum recepi. His autem exceptis, perpauca sunt, quae ex mera conjectura, vel mea vel aliorum, immutavi.

In notis, quaedam sunt e Porsoni manu, cujus schedas, ex haeredibus ejus redemptas, Collegium nostrum mihi excutiendas concessit; ut siquid in illis repertum esset ad Aeschylum pertinens, id omne ad hanc editionem locupletandam et augendam decerperem. Et ne diutius aliquis quam vellet notis

*) Hoc de prima editione intelligendum est.